

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Dissertatio Critica De Capitibus Ultimis IX - XIII.  
Posterioris Epistolae Pauli Ad Corinthios Ab Eadem Haud  
Separandis**

**Gabler, Johann Philipp**

**Goettingae, [1782]**

**VD18 11725516**

§. I. Difficultates nexus Cap. VIII. cum IX. exponuntur.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-14981**

---

## SECTIO I.

DE  
CAPITISIX. EPISTOLAE POSTERIORIS  
AD CORINTHIOS  
VERA AD PRAECEDENTIA CAPITA  
RATIONE.

---

### §. I.

*Difficultates nexus Cap. VIII. cum IX.  
exponuntur.*

**V**troque posterioris epistolae ad Corinthios capite VIII. et IX. liberalitatem in colligenda stipe pro Christianis Palaestinensibus primis lectoribus maiorem in modum grauissimisque argumentis a Paulo commendari, id quidem primo iam obtutu facile intelligimus. Tantum vero abesse videtur, vt, quod exspectari tamen iure possit, argumenta persuasoria, quae Cap. VIII. proponi coeperant, IXno hoc continuentur, nouisque augeantur; vt potius prioribus quinque  
A com-



commatibus idem contineatur, quod VIIIuo iam capite prolixius expositum legimus, ac Paullus vniuerse ita procedat, atque eius modi dicendi formulis vtatur, ac si nihil horum in praecedente capite attigisset, sed novum prorsus argumentum hoc capite tractare incipiat. Haec enim priora quinque commata si inspiciamus, repeti videtur variis modo formulis summa eorum, quae *tum* de egregia spe, quam de liberali Corinthiorum animo conceperat, *tum* de legatione Titi eiusque comitum ad studium leuandi larga manu aliorum miserias in animis illorum alendum et promouendum Cap. VIII. commatt. 6. 7. 8. 10. 11. 18. 22. 24. fusius iam exposuerat. — Incipit Cap. IX. verbis: *περι μεν γαρ της διακονιας*; qua quidem formula Paullus alibi vtitur ad transeundum ab vno argumento ad alterum; v. c. 1 Cor. VII, 1. XII, 1. XVI, 1. Addit Apostolus: *περισσον μοι εσι το γραφειν υμιν*; cum tamen per integrum Cap. VIII. studium aliis benefaciendi Corinthiis suis magnopere iam iam commendasset, ac in eodem argumento per totum hoc Cap. IX. adhuc haereat. Mentionem denique facit *Achaiae* com. 2; cum praecedens caput *Corinthiis* maxime destinatum fuerit. — Hae sunt potiores difficultates, quibus soluendis ab aliis aliae hypotheses excogitatae fuerunt; quas singulas recensere iam atque diiudicare constituimus.

§. II.



## §. II.

*Prima hypothesis exponitur et examinatur.*

Prima vero hypothesis ad illustrandam vniuersam Cap. IXni rationem ac indolem stabilita, cuius in praefatione iam mentionem fecimus, haec est: Caput hoc IXnum separatam esse schedulam, nec Corinthiis, sed caeteris ecclesiis Achaicis, vt aequae prolixam et beneficam, ac Corinthii, voluntatem egenis Palaestinenfibus demonstrarent, destinatum; nulloque prorsus nexu cohaerere cum praeced. Cap. VIIIuo, quod potius, adiecto quidem Cap. XVI. epist. ad Romanos, posteriores has litteras claudere censendum sit, sed posthaec demum scidam illam a Corinthiis huic ipsi epistolae loco quidem eo, quo Paulus de eadem re ageret, adiunctam fuisse. Eius modi enim breuiores litteras per provinciam missas post aliquod tempus, ne perirent, collectas fuisse, atque maiori cuidam epistolae ad metropolin datae, loco quouis aptissimo, omiffa inscriptione et apostolica salutatione insertas. Qui antiquae ecclesiae Christianae mos si ad illustrandas Cap. illius IXni origines adferatur, manifestum esse, quae ratione in media hac epistola particula quaedam extet, quae cum antecedentibus non cohaereat. —

A 2

Verum